INDEX SCHOLARVM

QVAE

AVSPICIIS

REGIS AVGVSTISSIMI

FRIDERICI GVILELMI IIII.

IN

VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA
RHENANA

PER MENSES AESTIVOS A. CIƆIƆCCCLVII.

A DIE XX. M. APRILIS

PVBLICE PRIVATIMQVE HABEBVNTVR.

BONNAE

FORMIS CAROLI GEORGII.

Fr. Ritschl
De Aeschyli Septem adversus Thebas

VNIVERSITATIS FRIDERICIAE GVILELMIAE RHENANAE

RECTOR ET SENATVS

COMMILITONIBVS

S.

Dies ut diem doceat, novo exemplo volumus eos vestrum, cari commilitones, cognoscere qui scholis Aeschyliis per hanc hiemem inter nos habitis interfuerunt. Vbi quae de illis versibus exposuimus qui sunt in Septem adversus Thebas a 254 ad 261, ea quoniam secundis curis, quarum nobis otium haec Saturnaliorum hilaritas Rhenana facit, haud leviter posse emendari intelleximus, non esse committendum existimavimus ut novi inventi expertes essetis. Vt autem, quid rei agatur, ceteris quoque patefiat si qui in has pagellas oculos conicere voluerint, primum quidem Eteoclis sermonem illum ex Godofredi Hermanni exemplo, quo iterate a nobis uti in interpretando consuevimus, transcriptum infra posuimus.

> *ἐγὼ δὲ χώρας τοῖς πολισσούχοις θεοῖς,*
> *πεδιονόμοις τε κἀγορᾶς ἐπισκόποις,*
> *Δίρκης τε πηγαῖς ὕδατί τ' Ἰσμηνοῦ λέγω,*
> *εὖ ξυντυχόντων καὶ πόλεως σεσωσμένης,*
> *μήλοισιν αἱμάσσοντας ἑστίας θεῶν,*
> *ταυροκτονοῦντας θεοῖσιν, ὧδ' ἐπεύχομαι*
> *θήσειν τρόπαια, δαΐων δ' ἐσθήματα*
> *στέψω πρὸ ναῶν δουρίπηχθ' ἁγνοῖς δόμοις.*
> *τοιαῦτ' ἐπεύχου μὴ φιλοστόνως θεοῖς κτλ.*

Et in his illud quidem, quod pro librorum scriptura *ΟΥΔΑΠΙϹΜΗΝΟΥ* praeclara praeclari auctoris emendatio, Iacobi Geelii, *ὕδατί τ' Ἰσμηνοῦ* suscepta est, meministis omni ex parte a nobis laudari. Recte enim contra Guilelmum Dindorfium, qui reprobata quam prius probaverat Ludovici fratris coniectura *ὕδασί τ'* Geelianae simil-

lima ipse ὕδατά τ' Ἰσμηνοῦ λέγω suadebat, Carolus Prienius dixit Annal. nov. phil. et paed. vol. LXVIII, p. 9, longe aliam esse rationem monstrans conlati a Dindorfio exempli Aeschylii Prom. 88 sqq.: ὦ δῖος αἰθὴρ καὶ ταχύπτεροι πνοαί, ποταμῶν τε πηγαί, ποντίων τε κυμάτων ἀνήριθμον γέλασμα, παμμῆτόρ τε γῆ, καὶ τὸν πανόπτην κύκλον ἡλίου καλῶ, ἴδεσθέ μ' —: ubi nec λέγω positum est, sed multo significantius καλῶ, et certo consilio Solis potissimum omnituentis invocatio cum vi quadam intenditur. Ismeni autem mentio nec caussa nec ratio perspicitur cur vel maiore vel minore cum pondere quam ceterorum numinum appellatio fieret. Ergo vel hanc ob rem nihili esset quod ab ipso Prienio cum l. s. s. tum Musei nostri philol. vol. IX, p. 239 propositum est οὐδ' ἀπ' Ἰσμηνὸν λέγω, etiamsi non accederet, quod nec praepositionis ista tmesis defensionem patitur, nec omnino ea qua ille voluit significatione 'Ismenum excludo, praetereo' graecum est ἀπολέγω Ἰσμηνόν, nec si esset, dignum Aeschylo. Videturque nunc ipse Geelii ἕρμαιον probare in Symbolis criticis Lubecae nuper editis p. 38. Qui autem λέγω vocabuli usum quendam parentheticum eundemque epexegeticum huc ascivit Antonius Lowinskius eiusdem Musei vol. XI, p. 305 sic verba poetae instaurare sibi visus: Δίρκης τε πηγαῖς, οὖθατ' Ἰσμηνοῦ λέγω, non cogitavit (alia ut mittam) id contrario potius ordine dicendum fuisse οὔθασί τ' Ἰσμηνοῦ, Δίρκης πηγὰς λέγω: talis enim ratio est Aeschyliorum illorum ut ἅλω δὲ πολλήν, ἀσπίδος κύκλον λέγω in hac fabula, vel κέντημα γλώσσης, σκορπίου βέλος λέγω in Xantriis. Atqui languidum esse et supervacaneum reliquis additum λέγω uterque sensit. Et profecto languet, si 'dico' vel 'inquam' vertitur: non languebit, ubi ἐμφατικωτέρως aequare 'indicendi, declarandi, pronuntiandi' notionem putabitur; ut enim saepissime illud vim hortandi iubendive induit, ita nihil impedit quominus etiam promittendi vovendique potestatem communicet. Verum sic fatendum est sane in unius constructionis continuitate ἐκ παραλλήλου positum ἐπεύχομαι verbo non mediocriter offendere. Non offendit quidem Hermannum: sed hunc ipsum in ea caussa non audiendum esse facile est ad demonstrandum. Quam enim excusationem tutandae codicum memoriae in v. 265 adhibuit, ubi non percepisse editores ait eximiam vim iracundae orationis in illis quae sunt ἐγὼ δ' ἐπ' ἄνδρας ἓξ ἐμοὶ σὺν ἑβδόμῳ ἀντηρέτας ἐχθροῖσι . . . εἰς ἑπτατειχεῖς ἐξόδους τάξω, eandem illum veniam huc transtulisse consentaneum est. Et tamen nihil esse evidentius potest quam pridem repressa ea iracundia, qua in pavidas contumacesque virgines invectus erat antea, iam totum in eo regem esse ut placata mente (τοὖτ' ἀντ' ἐκείνων τοὔπος αἱροῦμαι σέθεν), sed imminentis periculi gravitate graviter permota graves tranquillasque preces fundat compositaque oratione vota nuncupet. Ei igitur animi affectui convenienter quemadmodum non illud, quod artificiosiore acumine Hermannus excusare studuit, sed hoc potius dicere Eteocles videbitur quod non egens excusatione maximam commendationem simplicitatis habet: ἐγὼ δ' ἔτ' ἄνδρας ἓξ ἐμοὶ σὺν ἑβδόμῳ e. q. s. (nec

enim dignum cui immoremur Burtoni Blomfieldique commentum ἐγὼ δέ γ' ἄνδρας): ita ab eadem regis condicione iterata in λέγω et ἐπεύχομαι verbis vovendi notio non poterit non aliena iudicari. Quod si ita est, haud immerito, in utrum locum aliquid suspitionis cadat, quaeretur.

Non poterit autem, qui ad vim simplicis veritatis non prorsus occalluerit, ullo modo gravissimas, quibus ipse versus 259 obnoxius est, dubitationes vel dissimulare vel monstratas infitiari: quae sunt numero quattuor. Nam primum quis post τοῖς πολισσούχοις θεοῖς et ipso proximo versu ἑστίας θεῶν molestissime iteratum θεοῖσιν aequo animo ferat? In cuius locum si cum Blomfieldio πᾶσιν substituas parum per se plausibile a concinnitate sententiae, at ita qui tandem, cum profecto συνώνυμα non sint μηλοσφαγεῖν et ταυροκτονεῖν, hoc potuisse sine copula adici credamus? praesertim cum in promptu esset καὶ βουθυτοῦντας dicere, id quod commode nuper Robertus Engerus admonuit Annal. nov. phil. et paed. vol. LXXV, p. 48. Itaque utrique incommodo ut occurreret, ταυροκτονοῦντάς τέ σφιν Prienius commendabat, ob id laudatus a Ludovico Schillero in Diariis Monacensibus vol. XXXIX, p. 27: non mehercule sententiae quicquam vel ponderis vel gratiae addens addito, quo facillime caremus, dativo. Vt haud paullo venustius, qui hariolari vellet, potuerit ταυροκτονοῦντάς τ' ἀσμένως ἐπεύχομαι θήσειν κτλ. conicere. Nam Bothianum quidem ταυροκτονοῦντάς θ', οἷσιν ὧδ' ἐπεύχομαι ne intellegi quidem potest nec graece loquentis potius quam balbutientis est. Verum tertia offensio haec accedit quod omnino, qui omissa personae significatione ταυροκτονοῦντας ἐπεύχομαι θήσειν dici potuerit, non perspicitur: id quod sane etiam ad αἱμάσσοντας participium pertinet. Nec enim scholiasta Mediceus morandus: qui cum λείπει ἡμᾶς, ἡμᾶς ἐπεύχομαι adnotavit, non quod abest tantum, sed quod deest dixit. Rursus igitur praesto esse Hartungius confidenterque ταυροκτονοῦντας θ' ἧμας ὧδ' (sic) reponere, forma invecta minime Aeschylia, neglecta autem virtutis poeticae aestimatione, unde quartum argumentum petimus. Omnino enim, si non essent reliquae offensiones omnes, tam exiliter subiectum ταυροκτονοῦντάς τε vel etiam καὶ βουθυτοῦντας negaremus ab Aeschylo profectum esse. Recte se habiturum erat μηλοσφαγοῦντας ταυροκτονοῦντάς τε: item recte aliquanto ornatiore dicendi specie μήλοις ταύροις θ' αἱμάσσοντας ἑστίας θεῶν vel quod eodem redit μήλοισί θ' αἱμάσσοντας ἑστίας θεῶν ταύροισί τε: fortasse etiam μηλοσφαγοῦντας ταύροις θ' αἱμάσσοντας ἑστίας θεῶν vel ταυροκτονοῦντας μήλοις θ' αἱμ. ἑ. θ. condonari potuit, quanquam hoc non valde placet: sed a graviore et exquisitiore genere descendere ad tenuius et ieiunius, id vero poeta dignum non est.

Tot igitur tamque graves dubitandi caussae cum unum eundemque versum communem sedem habeant, vix poterit nostra sententia in temeritatis crimen incurrere, qui de interpolatoris fraude suspicetur. Nam non sane liber tali culpa is videbitur,

qui non tantum tam bonum versum vereque Aeschylium, qualis ille est *μήλοισιν αἱμάσσοντας ἑστίας θεῶν*, licentius damnavit duce Blomfieldio, sed suomet consilio in eiusdem supplicii societatem etiam duobus proximis ascitis nihil reliqui fecit ex tralaticia ubertate praeter haec satis macilenta frusta:

> *εὖ ξυντυχόντων καὶ πόλεως σεσωσμένης*
> *λάφυρα δᾴων δουρίληφθ' ἁγνοῖς δόμοις*
> *στέψω πρὸ ναῶν πολεμίων ἐσθήματα.*

Quae quibus aliis incommodis laborent, infra apparebit: nunc unum hoc quaerimus, quo iure quave probabilitate ipsorum sacrificiorum sponsio ab Eteoclis voto segregetur, prorsus ea ad rerum condicionem sollemnemque in eo genere consuetudinem apposita? Sed *μήλοις* sane ut dedita opera etiam *ταύρων* mentio accederet, nec profecto per se ulla necessitas fuit et eo minus caussae inventum, quo certiore grammaticorum testimonio constat ipso *μήλων* nomine boves comprehensos esse *παρὰ τοῖς ἀρχαίοις*: de quo veterum observationes ab Augusto Nauckio compositas habetis Aristophanis sui p. 197 sqq. Itaque hoc qui aut non meminisset aut exposite et aperte declarandum putaret, ad maiorem scilicet magnificentiam sacrificii notionem adducturus facile eum versiculum confingebat, quem manifestum est conflatum esse e Sophoclii *ταυροκτονεῖν* verbi recordatione adsumptisque e superiore versu *θεοῖσιν*, ex paullo inferiore *ἐπεύχεσθαι* vocabulis: hoc autem postremo ne satis commode quidem, nisi fallimur. Nolumus in eo haerere morosius quod, etsi 'precari' et *εὔχεσθαι* et *ἐπεύχεσθαι* dictum esse constat, tamen ad 'vovendi' notionem ipsum verbum compositum omnino non est a tragicis poetis translatum praeter hoc unum exemplum. Quod ut potuisse tamen fieri largiamur, at omnium minime commode fatendum est eo loco fieri, ubi paucis post versibus eodem *ἐπεύχεσθαι* verbo chorus non 'vovere', sed 'precari' iuberetur: *ἐπεύχου μὴ φιλοστόνως θεοῖς*. Quo ut etiam augetur fraudis suspitio, ita in hac ipsa fabula satis vobis constat non deesse exempla simili sedulitate adsutorum pannorum h. e. non a librariis potius adsutorum, quam a doctiore aliquo lectore profectorum qui nimirum ingenio indulgeret suo ludibundaque manu quid vires possent experiretur.

Expulso importuno additamento, quod non est mirum interpolatorem accommodasse ad eum quem scriptum repperisset *αἱμάσσοντας* accusativum, sequitur ut hoc ipso quid fiat quaeratur, quippe quod supra viderimus sine *ἡμᾶς* dici prorsus non potuisse. Atque hic quidem viam veritatis apertissime vetus scholiasta monstrat, non is qui *λείπει ἡμᾶς* adscripsit, sed longe illo et praestantior et ut facile apparet antiquior, cuius in Mediceo codice quantivis pretii verba haec sunt: *ἐσθήμασιν ἐσθήματα ἀναθήσω πρὸ τῶν ναῶν τὰ λάφυρα*. E quibus primum hoc intellegitur, talem interpreti scripturam ante oculos fuisse, qua non ad Thebanos universos, sed

ad unius Eteoclis personam voti susceptio referretur: nam pro λέγω θήσειν etsi satis commode ponere ἀναθήσω potuit, at pro λέγω ἡμᾶς θήσειν profecto non potuit non ἀναθήσομεν. Quo accedit quod singularis numeri non minus aperto indicio est quod subsequitur στέψω verbum, de quo suo loco dicetur. Haec igitur eam vim habere intellegimus, ut Aeschyliam verborum constructionem non aliam atque hanc fuisse coarguent: ἐγὼ δὲ λέγω μήλοισιν αἱμάσσων ἑστίας θεῶν θήσειν —. Nec fere plus quam unius litterae mutationem nobis sumimus, cum a poetae manu hoc esse profectum conicimus:

μήλοισιν αἱμάσσων τόθ' ἑστίας θεῶν
θήσειν —:

quod uno evanido semicirculo sic scriptum ΑΙΜΑCCΟΝΤΟCΕCΤΙΑC cum sententia careret, facile videri potuit in αἱμάσσοντας ἑστίας corrigendum esse. E quo fonte constructionis perversio gravissima manavit.

Ad proxima pergimus ut, quid tandem sit quod effecturum se Eteocles polliceatur, patefiat. Nimirum primum θήσειν τρόπαια, praeterea autem spolia opima templis affixurum hostium vestimenta. Et de tropaeis intellexit etiam unus scholiastarum: παρατηρητέον ὅτι οὐδέπω ἦν ἡ τῶν τροπαίων ὀνομασία κατὰ τὸν Ἐτεοκλέα· ὥστε ἀνεβίβασε τὰ κατὰ τὸν χρόνον ὁ Αἰσχύλος. Sed ea tamen interpretatio omnis quominus fidem inveniat, caussae obstant gravissimae. Nam primum quidem cum etiam tropaea non aliunde nisi e spoliis hostilibus fiant, mirum est horum mentionem, seiunctam ab ipsorum tropaeorum promissione, in altera tantum parte bipertitae enuntiationis fieri, omninoque satis ornatae in hac parte orationi praemitti tam exilibus verbis elatam θήσειν τρόπαια notionem. Non minus autem praeter rationem, ubi δαΐων δ' ἐσθήματα verbis ad alterum membrum enuntiati transitur, a spoliorum in templis figendorum cogitatione seiuncta est sacrificiorum sponsio, quae tamen apparet multo etiam aptius illuc quam ad tropaea pertinere sub dio fieri solita in campo aperto. Et ut hoc incommodum mutata δέ in τε particula facile vitetur, tamen longe evidentissimum argumentum hoc restat, quod constanti loquendi usu 'tropaeum statuere' cum ceteris scriptoribus etiam poetae tragici ἱστάναι τροπαῖον dixerunt (ut mittam ὀρθοῦν, ἐγείρειν), non τιθέναι Animadvertit hoc Marklandus in Supplices Euripidis v. 657, tribus is quidem τιθέναι verbi exemplis memoratis, sed quorum primum petitum e Choephor. v. 762 ἀλλ' εἰ τροπαίαν Ζεὺς κακῶν θήσει ποτέ, ubi vel τρόπαιον vel τρόπαια male suadebat Porsonus, prorsus hinc alienum sit: alterum in Helena Euripidis v. 1380 ὡς βαρβάρων τρόπαια μυρίων χερὶ θήσων addito χερί differat: tertium Aristophanis in Lysistrata v. 318 non θεῖναι sed θέσθαι praestat genetivis sociatum δέσποινα Νίκη ξυγγενοῦ τῶν τ' ἐν πόλει γυναικῶν τοῦ νῦν παρεστῶτος θράσους θέσθαι τροπαῖον ἡμᾶς. Quae cum ita sint, denuo praesto est salutis administer scholiasta, non is qui de tropaeorum instituto commentatus est, sed iam

supra nobis laudatus, quem non θήσειν τρόπαια, sed θήσειν ἐσθήματα vel λάφυρα coniunxisse ex ipsis eius verbis manifestum est: ἐσθήματα ἀναθήσω πρὸ τῶν ναῶν τὰ λάφυρα. Non legit igitur ille ullam ante ἐσθήματα particulam, sed una constructione continuatam talem enuntiationem, qualem et verborum et sententiae simplicitas commendat ut quod maxime:

μήλοισιν αἱμάσσων τόδ' ἑστίας θεῶν
θήσειν τροπαῖα δαΐων ἐσθήματα

h. e. nuntia victoriae me facturum vestimenta hostium. Vbi, ut in adiectivo, multo etiam certius quam in substantivo προπερισπαστέον secundum veterum magistrorum praecepta, de quibus contemptius quam par erat Elmsleius existimavit in Heraclidas v. 403. Adiectivum non in illis tantum Euripidiis habetis Ζηνὸς ὀρθῶσαι βρέτας τροπαῖον et Διὸς τροπαῖον ἵστασαν βρέτας Phoeniss. 1251. 1473, quorum vim esse ambiguam sentitis, sed imprimis huc apposito exemplo Electrae v. 1174 τροπαῖα δείγματ' ἀθλίων προσφαγμάτων. Pro substantivo autem haberi coeptum in Aeschylio versu τροπαῖα effecit ut vel δέ vel τε particula intrusa novam structuram proximorum verborum comminiscerentur, plane ut huius fabulae versu 340 factum est in πικρὸν δ' ὄμμα verbis: quos versus una cum strophicis cum olim diximus tum nunc credimus sic emendandos esse:

κορκορυγαὶ δ' ἀν' ἄστυ ποτὶ θ' ὀρκάνᾳ πυργωτᾷ·
πρὸς ἀνδρὸς δ' ἀνὴρ δορεὶ καίνεται.

παντοδαπὸς δὲ καρπὸς χαμάδις πεσὼν ἀλγύνει
κύρσας πικρὸν ὄμμα θαλαμηπόλων.

Nisi quod, qui accuratissime exaequatam syllabarum responsionem expetat cum Engero l. s. s. p. 51, poterit fortasse δόρατι pro δορεί.

Superest ut gravissimas turbas si possimus componamus, quibus extremos versus et intumuisse et dehisse certum est. Qui cum vulgo tales legerentur:

θήσειν τρόπαια, πολεμίων δ' ἐσθήματα,
λάφυρα δαΐων δουρίπληχθ' ἁγνοῖς δόμοις,

ex paucissimis codicibus, sed inter eos Mediceo, hi prodierunt, quos ex ipso Mediceo transcriptos ab Ottone Ribbeckio nostro infra posuimus:

                                        τα
θήσειν τρόπαια. πολεμίων δ' ἐσθήμασι·

λάφυρα δαΐων. δουρίπληχθ' ἁγνοῖς δόμοις
                              τ
στέψω πρὸ ναῶν πολεμίων δ' ἐσθήματα.

ubi et τα versu primo, et tertio τ secunda manu supra scriptum est ab eademque ϑ' adiectum in δουρίπληχϑ': disiecta autem membra sive poetae sive interpretis vel interpunctio prodit facta post τρόπαια, post ἐσϑήμασι, post δαΐων. Hinc igitur quod Hermannus effecit ab initio a nobis perscriptum qui placere ipsi potuerit aegre assequare: tam insuavi construendi duritie ex obliqua oratione in rectam transitur a ϑήσειν infinitivo ad στέψω, pro quo tamen in promptu στέψειν erat: reliquas offensiones ne iteremus antea satis disceptatas. Nisi quod praeclaro sane acumine δουρίπηχϑ' e nihili memoria librorum eruit pro eo quod Porsonus in Euripidis Hecub. v. 482 proposuerat δουρίληφϑ'. Vnum autem illi vitium non tantum cum Guilelmo Dindorfio commune est, cuius scripturam supra perstrinximus p. VI. supr., sed etiam cum Roberto Engero nostro, qui nova via ingressus hanc nuper speciem Aeschyliorum verborum l. s. s. p. 48 commendavit:

ἐπεύχομαι
ϑήσειν πρόναα πολεμίων ἐσϑήματα
λάφυρα δᾳων δουρίπηχϑ' ἁγνοῖς δόμοις.

In qua primum laudandum est, quod non posse ferri τροπαίων notionem intellexit: alterum hoc, quod unam continuam esse horum omnium constructionem pervidit: improbanda autem cum alia tum illud, quod non minus profecto ταυτολόγα sunt πρόναα et δουρίπηχϑ' ἁγνοῖς δόμοις quam apud Hermannum Dindorfiumque δ. ἁγνοῖς δόμοις et πρὸ ναῶν verba. Rursus autem cum solo Dindorfio alterum ταυτολογίας exemplum participat etiam minus tolerabile, quod cernitur in λάφυρα δᾳων et πολεμίων ἐσϑήματα vocabulis: sibi autem propriam hanc culpam, quod minime vulgarem στέψω vocis usum sibi persuasit interpolatori deberi. Quo accedit quod prorsus immerito nobis videtur illud in Hermanno criminari, quod is non ferenda libidine alia ex aliis Medicei codicis versibus suscepta in unum contulerit: quasi non longe frequentissimo usu hoc ipsum eveniat, ut promiscue in codicibus conglutinatis scriptorum interpolatorumque verbis illud unum spectandum sit, ut quid suapte natura dignum esse scriptore, quid sapere interpretem videatur, acriore iudicio dispiciamus. Hanc igitur normam secuti primum πρὸ ναῶν interpretamentum esse illorum quae sunt δουρίπηχϑ' ἁγνοῖς δόμοις pronuntiamus: deinde πολεμίων interpretamentum δαΐων nominis: contra non concedimus eandem rationem esse ἐσϑήματα et λάφυρα notionum. Nam etsi illud quidem fere poeticum tantum est, at hoc nec frequentatum prosae orationis scriptoribus nec ab ipsis tragicis poetis ullo pacto alienum novimus. Velut in eadem prorsus caussa ϑεοῖς λάφυρα ταῦτα τοῖς καϑ' Ἑλλάδα δόμοις ἐπασσάλευσαν ἀρχαῖον γάνος ipse Aeschylus dixit Agamemnonis v. 556 (ἐπασσάλευσαν quidem convenienter ei quod est δουρίπηκτα), similiter idem λαφύροις δῶμα κοσμήσει πατρός huius fabulae v. 460, item σὲ παγχρύσοις ἐγὼ στέψω λαφύροις Sophocles Aiac. 92, alia vel Sophoclia vel Euripidia ne nunc cumulemus.

Vt recte sane, quamdiu aut ἰσϑήματα aut λάφυρα scripsisse Aeschylus putabitur, illud aliquanto etiam dignius poeta habeatur, id quod verissimo iudicio Hermannus sensit, rectius tamen neutrum eodem indignum credatur. Ita igitur segregatis a genuinorum societate apertis interpretamentis quae relicta sunt tanquam sua sponte in versus formam tam commode et concinne coeunt, ut ne posse quidem alium ordinem inire videantur:

ϑήσειν τροπαῖα δαΐων ἐσϑήματα,
στέφων λάφυρα δουρίπηχϑ᾽ ἁγνοῖς δόμοις.

Postquam enim generalius illud dixit τροπαῖα δαΐων ἐσϑήματα, iam qui id instituturus sit ut indices cladis vestes hostiles evadant, accuratius explicat: 'hastis eas sacris domibus affigens spolia.' Haec autem Aeschylia quomodo in eum quem codices exhibent tumorem creverint, licebit tam planum facere, nihil ut ad demonstrationis integritatem desiderari videatur. Etenim e communi fonte turbae omnes hoc repetendae sunt, quod et priori versui vel potius utrique et posteriori aliquid explicationis adscriptum erat, quorum illud quaedam sui vestigia etiamnunc reliquit in laceris truncatisque scholiis libri Medicei, alterum prorsus intercidit. Quae potuerunt velut talia esse: ἀναϑήσω πρὸ τῶν ναῶν τὰ τῶν πολεμίων ἐσϑήματα ἤγουν τὰ λάφυρα, et στέψω τοὺς ναοὺς λαφύροις ἤγουν τοῖς τῶν πολεμίων ἐσϑήμασιν: in quibus ad amussim numerabis quotquot vocabula in trium versiculorum speciem conflata Mediceus codex praebet, ne ἐσϑήμασιν quidem dativo excepto, quem qui expediret vel unde natum diceret nemo criticorum habuit. Nec profecto caussa latet, cur illarum alteram explicationem interpres addendam putaret. Nam cum usitate sane non στέφεσϑαι λάφυρα dicantur, sed res quaepiam στέφεσϑαι λαφύροις, ut in eadem caussa ὅπλοις σκύλοις τε Φρυγῶν δοριϑηράτοις, οἷσιν Ἀχιλλέως παῖς Φϑιώτας στέψει ναούς apud Euripidem est Troad. v. 576, item apud alios poetas τύμβον λοιβαῖς καὶ χλιδαῖς, νέκυν χοαῖς, πάτραν ἐνάροις στέφειν aliaque non parvo numero parilia, non inutiliter ad idem genus revocari visum est quod longe rariore usu Aeschylus posuit στέφων λάφυρα 'stipans spolia': cuius usus nunc non aliud exemplum in promptu est praeter illud in hac fabula v. 49: μνημεῖά ϑ᾽ αὐτῶν τοῖς τεκοῦσιν ἐς δόμους πρὸς ἅρμ᾽ Ἀδράστου χερσὶν ἔστεφον.

Atque hic finem imponeremus disputationi nostrae, nisi nimis confinis alia labes esset, quam non animadversam criticis non dubitamus quin poetae verba traxerint. Quid enim esse dicamus quod illis quos tractavimus versibus hi continuantur:

τοιαῦτ᾽ ἐπεύχου μὴ φιλοστόνως ϑεοῖς,
μηδ᾽ ἐν ματαίοις κἀγρίοις ποιφύγμασιν.

Vbi sive 'precare' sive 'vove' verteris ἐπεύχου, nihili erit quae prodit sententia. Vo-

verat quidem Eteocles, sed ea voverat quae ipse pro se solus praestiturus erat: non potuit, si saperet, vel eadem vel talia vovere etiam virgines iubere, a quarum personis illa erant alienissima. Et satis in principio orationis, quae utrorumque officia essent, his verbis discriminaverat: *εὔχου τὰ κρείσσω* (h. e. saniore ratione precare) *ξυμμάχους εἶναι ϑεούς· κἀμῶν ἀκούσασ' εὐγμάτων* (h. e. votorum) *ἔπειτα σὺ ὀλολυγμὸν ἱρὸν εὐμενῆ παιάνισον* h. e. sollemne genus bene compositae precationis funde, oppositum id quidem subitariis ac tumultuariis quibus antea indulserant lamentis, vel quod eodem redit *φιλοστόνοις ματαίοις κἀγρίοις ποιφύγμασιν*. Ergo 'precare' est *ἐπεύχου*. Verum additum *τοιαῦτα* qui poterit non ad proxima quae praecedunt, in quibus tamen nulla precandi mentio facta, sed ad illa referri a quibus ipsius voti Eteoclei intervallo separatum est? Aut igitur omnia fallunt aut non integram codices regis orationem servarunt. Nec ignorant, qui aliquem usum habent huius artis, quam saepe, ubi semel gravius turbari coeptum est in veterum libris, mirimodis mixta ea ipsa duo genera corruptelae habeantur, quorum alterum lacunis, interpolatione alterum continetur. Velut hau dubie illius versus interpolatio qui est in hac fabula 176: *τοιαῦτά τἂν γυναιξὶ συνναίων ἔχοις*, sociam habuit alius senarii iacturam, quem non improbabiliter posse talem fuisse Dindorfius coniecit: *τοιγὰρ προφωνῶ πᾶσιν ἡσύχως ἔχειν*. Hinc igitur consectarium esse hoc volumus, ut a voti susceptione sua ad chori cohortationem Eteocles tali fere modo transierit: *τοιαῦτ' ἐγὼ μὲν εὔχομαι, σὺ δὲ μὴ φιλοστόνως ἐπεύχου*. Et ut aliquid exempli ludamus, iam integram orationem pro virili parte a nobis reconcinnatam accipite qualem infra scripsimus:

ἐγὼ δὲ χώρας τοῖς πολισσούχοις ϑεοῖς
πεδιονόμοις τε κἀγορᾶς ἐπισκόποις,
Δίρκης τε πηγαῖς ὕδατί τ' Ἰσμηνοῦ λέγω,
εὖ ξυντυχόντων καὶ πόλεως σεσωσμένης,
μήλοισιν αἱμάσσων τόϑ' ἑστίας ϑεῶν
ϑήσειν τροπαῖα δαΐων ἐσϑήματα,
στέφων λάφυρα δουρίπηχϑ' ἁγνοῖς δόμοις.
τοιαῦτα [τἀμὰ προσδέχοινϑ' ὁρκώματα.
σὺ δ' οὖν] ἐπεύχου μὴ φιλοστόνως ϑεοῖς,
μηδ' ἐν ματαίοις κἀγρίοις ποιφύγμασιν·
οὐ γάρ τι μᾶλλον μὴ φύγῃς τὸ μόρσιμον.

Vel si males *τἀμ' ἂν προσδέχοινϑ'*. Quae cum ab his excipiuntur:

ἐγὼ δ' ἕτ' ἄνδρας ἓξ ἐμοὶ σὺν ἑβδόμῳ
ἀντηρέτας ἐχϑροῖσι τὸν μέγαν τρόπον
εἰς ἑπτατειχεῖς ἐξόδους τάξω μολών,

eidem *σύ* pronomini, quo Eteocles ad suum illud *ἐγὼ δὲ χώρας κτλ.* atque ad *τἀμά* respexerat, nova oppositione iam alterum *ἐγὼ δὲ* refertur: 'ego autem praeterea' e. q. s.

His feliciter ut speramus vel saltem optamus peractis superest ut instantis aestatis studiis vestris, commilitones, institutionis academicae luculentam ubertatem illam commendemus quam subiectarum tabularum varietas commonstrat, ei autem commendationi alteram hanc sociemus ipsius prooemii nostri ducem atque comitem, qua nervos contineri si non sapientiae at intellegentiae Siculus poeta dixit: *νᾶφε καὶ μέμνασ' ἀπιστεῖν, ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν.* Valete.

Datum Bonnae a. d. VI. Kal. Mar. a. CIↃ·IↃ·CCC·L·VII.